



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.30. Episcopi pœnitentes recipiuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

etiam recitari mandarunt. In ea referre-
bantur, quæ in obitu Pauli Patriarchæ
contigerant, Electio Tarasii, & Convoca-
tio Concilii. Episcopi monebantur, ut
justo judicio pacem Ecclesiæ redderent,
& in fine addita erant hæc verba: *Ac-
cepimus epistolas ab Hadriano Papa ad nos
dadas, quas recitari præcipimus. His lit-
teris illisque, quas Legati Orientis Joa-
nes & Thomas attulerunt, auditis, cogno-
scetis, quæ Ecclesiæ Catholicæ Doctrina
sit. (*)*

Sæcul. VIII.

A. C. 787.

p. 50.

p. 51.

§. XXX.

Episcopi pœnitentes recipiuntur.

His dictis in medium prodire jussi sunt
Basilus Episcopus Ancyranus, Theo-
dorus Myrensis, & Theodosius Amorien-
sis, cumque ceteris sedentibus ipsi starent,
Basilus Ancyranus dixit: *Domini! Quæ-
stionem istam diligentissime examinavi,
& solutis jam omnibus dubiis ad Ecclesiam
Catholicam redii.* Tarasius Patriarcha
Ff 5 dixit:

(*) Quotiescunque sive in Oriente sive in
Occidente Ecclesiæ vel Doctrinæ Catholicæ oc-
currit mentio, simul etiam Cathedra Petri & Ro-
mani Pontificis Successoris ejus, scilicet Ecclesiæ
Universalis centrum & fundamentum memora-
tur. Nec unquam Lutherus aut alii Novatores
luculentissimum totius Antiquitatis testimonium
infringere valuerunt.

Sæcul. VIII. dixit: *Benedictus Deus! qui vult omnes*
 A. C. 787. *homines salvos fieri, & ad cognitionem*
 1. Tim. 2. 4. *Veritatis pervenire. Ergo Basilius Ancy-*
ranus Fidei suæ professionem legit in
hæc verba: Ita lege Ecclesiastica cautum
est, ut qui ab Hæresi convertuntur, scri-
pto eam abjurent, & Fidei Catholicæ Con-
fessionem edant. Itaque ego Basilius Epis-
copus Ancyranus cupiens Communionem
Ecclesiæ, Hadriani Papæ, Tarasii Pa-
triarchæ, Cathedrarum Apostolicarum
Alexandrinæ, Antiochenæ, Jerosolymita-
nanæ, omnium Episcoporum, & Presbyte-
rorum Catholicorum, hanc Confessionem
scriptam vobis, quibus Auctoritas Aposto-
lica est, trado. Veniam rogo, quod tam
sevo id faciam. Fateor hujus moræ cau-
sam fuisse ignorantiam & socordiam
meam, atque rogo, ut pro hujus delicti
gratia mecum ad Deum oretis.

Sequitur Fidei Confessio, in qua primo ponit Doctrinam Ecclesiæ de Trinitate & Incarnatione. Tum subjungit: *Ex-*
peto preces Sanctæ Matris Dei, Virtutum
Cælestium & omnium Sanctorum. Eo-
rum Sanctas Reliquias cum omni honore
suscipio, & venerabundus adoro, sperans, me
eorum Sanctimonie participem futurum.
Suscipio quoque venerabiles Imagines Jesu
Christi, in quantum pro nostra Salute ho-
mo factus est, atque etiam S. ejus Geni-
tricis, Angelorum, Apostolorum, Prophe-
tarum,

tarum, Martyrum, & omnium Sanctorum, amplector, & adorationem, quæ pertinet ad honorem impendo. Rejicio & anathematizo ex toto corde Synodum, quæ septima dicitur, tanquam totius Ecclesiæ Traditioni contrariam. Et idcirco recta mente, Deo mihi perhibente testimonium subiectos Anathematismos pronuncio: Iconoclastis, seu Christianorum Accusatoribus Anathema! His qui Scripturæ eloquia de Idolis contra Venerabiles Icones detorqueant, Anathema! His, qui Sanctas Imagines non salutant, Anathema! His, qui dicunt, quod Christiani ad Imagines sicut ad Deos accedant, Anathema! His, qui Sacras Imagines Idola appellant, Anathema! His, qui cum conviciantibus venerabiles Icones scienter communicant, Anathema! His, qui dicunt, quod aliquis alius ac Iesus Christus nos ab Idolis liberaverit, Anathema! His, qui contemnunt Doctrinam Patrum & Traditionem Ecclesiæ Catholicæ dicentes cum hæreticis, quod sola Scriptura ad nos docendum sufficiat, Anathema! (*) His, qui dicunt, Catholicam Ecclesiam Idola aliquando susce-

Sæcul. VIII.
A. C. 787.

p. 58.

(*) Pæclarum contra Protestantes Episcopi in Oriente & in Concilio Universali loquentis testimonium! Hi enim Scripturam Scripturam nobis ingeminant, sed illum verum S. Scripturæ sensum v.g. de

Sæcul. VIII. *suscepisse, Anathema! His, qui dicunt,*
 A. C. 787. *quod Icones sint Diabolicae fraudis inven-*
 Basilius An- *tio, & non SS. Patrum Traditio, Ana-*
 cyranus. *thema! Tandem Basilius Ancyranus*
sibi ipsi anathema dicit, si aliquando
ab hac Fidei Confessione mentem aver-
terit.

Tum Tarasio Patriarcha & omnibus
 Patribus gratias Deo agentibus, Theodo-
 rus Episcopus Myrensis in Lycia in me-
 dium progressus dixit: *Ego quoque pec-*
cator & Episcopus indignus re jam satis
pensata, optimum arripiens consilium,
Deum rogo & Vestram Sanctitatem, ut
Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ jungar.
 Tarasius dixit: *Res est Domino Nostro*
gratissima, pœnitentes recipere. Itaque
 Theodorus Fidei suæ Confessionem le-
 git, iisdem prorsus verbis ac Basili An-
 cyrani conceptam. Mox procedens
 Theodosius Amoriensis sinceram pœni-
 tentiam profitebatur, quod contra SS.
 Imagines locutus fuisset. Fidei suæ
 Confessionem quoque legit, in qua so-
 lum de Imaginibus, de Intercessione &
 Reliquiis Sanctorum mentionem facit,
 & hanc similitudinem notatu dignam ad-
 hibet,

p. 59.

de Gratia, de Libertate, de Merito, de Sacramentis
 & sic de ceteris, esse putant, quem ex præju-
 diciis ab infantia haustis & Spiritu privato sine
 Ecclesiæ universalis Auctoritate acceperunt.

hibet. *Si enim, inquit, cum Imperato-* Sæcul. VIII.
A. C. 787.
rem Icones in Provincias mittuntur, ob-
vii adsunt populi cum cereis & incensis,
non cera perfusam tabulam, sed Imperato-
rem honorantes, quanto magis oportet in
Ecclesiis Imaginem Salvatoris, Sanctæ
ejus Genitricis & Sanctorum depingi?
His Episcopis pœnitentibus in Concilio
receptis gradum suum & Sedes repetere
concessum est.

p. 62.

Illico prodierunt alii septem Episco-
pi, Hypatius Nicenus, Leo Rhodiensis,
Gregorius, Pessinuntensis, Leo Iconien-
sis, Georgius Pisidiæ, Nicolaus Hierapo-
litanus, & Leo Carpathiensis; illi scili-
cet, qui adversus Concilium conjurantes
conventus schismaticos egerant. Cum
hæc Tarasius ipsis exprobrasset, hortari p. 63.
cœpit, ut argumenta sua depromerent,
quibus ipse esset responsurus. Sed Leo
Episcopus Rhodiensis dixit: *Peccavimus* 24. Sept.
coram Deo, Ecclesia, & Concilio. Ignor-
antia lapsi sumus, & nihil habemus, quod
ad defensionem nostram afferamus. Ce-
teri sex eadem dixerunt, veram pœni-
tentiam profitentes. Gregorius vero
Pessinuntensis adduxit nescio quod Con-
cilium Apostolorum Antiochiæ habitum,
in quo dicebatur; cavendum esse Chri-
stianis, ne Idola sequentes iterum a ve-
ritate aberrarent, sed Idolorum loco ima-
ginem Jesu Christi haberent. Rerum
Eccle-

Sæcul. VIII. Ecclesiasticarum peritis exploratum est,
 A. C. 787. hoc Concilium nunquam celebratum
 fuisse, quamvis Innocentius I. Papa in
V. Tillm. to. 1. p. 551. not. quadam Epistola ad Alexandrum Antio-
 34. *Epist. 18.* chenum data de eo mentionem facere
to. 2. Conc. p. 269. videatur.

§. XXXI.

Regula de recipiendis Hæreticis.

Conc. 7. p. 66. Tunc vero Joannes Legatus Patriarchæ
 Antiocheni ad Tarasium: *Sanctissime Pater! multi scire cupiunt, quam rationem esse oporteat Hæreticos converfos recipiendi. Rogamus Concilium, ut Libros Patrum afferre liceat, eosque examinare.* Moxque Constantinus allatis libris, qui petebantur primo omnium legit Canonem Apostolorum quinquagesimum tertium (nam Græci Canones Apostolorum octoginta numerabant Ecclesia Romana non plures quam quinquaginta recensente) deinde lectus est Canon octavus Nicenus de recipiendis Catharis vel Novatianis, & tertius Ephesinus, qui ad recipiendos Macedonianos pertinebat. Tum, id flagitante Stephano Monacho & Palatii Patriarchalis Bibliothecario, lectus est primus Canon epistolæ S. Basilii ad Amphiloichum, in quo de Baptismo Encratitarum agitur. Lecti sunt deinde Textus ipsius epistolæ ad Evasinianos, tum ad Comitem Terentianum. Item
p. 67.
p. 70.
 duæ